

Christian Ohm Theodor Varmerier

**Selectarum Disputationum ad Digestorum seu Pandect. partem secundam Prima,
De Iudiciis, Et Ubi Quisque Agere vel conveniri debeat**

Rostochii: Pedanus, 1611

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730618978>

Druck Freier  Zugang



RU per 1611.

Christian Ohm Praes. 1/5

Theodor Varmeer Resp.

39
89

SELECTARVM DISPVATIONVM

ad Digestorum seu Pandect. partem secundam

PRIMA,

DE

JUDICIIS, ET UBI

QUISQUE AGERE

vel conveniri debeat,

quam

DEO DUCE ET AUSPICE

Consensu & auctoritate amplissimi Jctorum

ordinis in celeberrimâ Rostochiensium

Academiâ

PRÆSIDENTE

Viro clarissimo, consultissimo

Dn. CHRISTIANO SM J.V.D.

publicè habebit

THEODORUS VARMEIER

Osnaburg. Westph.

In auditorio majori ad diem 27. IXbr.

J. D. 187. 39.


RS 20

ROSTOCHII

Typis exscripsit JOACHIMUS PEDANUS

ANNO M. DC. XI.


R. U. jur 1801



L-D. 1299



THESIS I.



Udicii vocabulum etsi variè accipiatur, hîc tamen est disceptatio, quæ fit ab eo, quem Magistratus causæ disceptatorem partibus dedit. *Cujac. in par. ff. h. t.*

I I.

Dividitur in civile & criminale; illo quis petit id, de quo queritur, sibi adjudicari: hoc ad poenam fisco applicandam, vel corpori rei infligendam instituitur. *S. in summa. Inst. de injur. Marant. in spec. part. 4. dist. 1. n. 1. & seqq.*

III.

Deinde iudicium aliud est ordinarium, in quo solemnîs procedendi modus attenditur: aliud extraordinarium in quo non item. *Marant. d. part. 4. dist. 9. n. 1.* Deniq; aliud petitorium, aliud possessoriûm. In illo de proprietate rei; in hoc de possessione agitur. *Mar. d. part. 4. dist. 7. n. 1. & 2.*

IV.

Constituunt iudicium, Iudex, Actor & Reus, & personæ his accessoriæ: Iudicis, assessores, Scribæ & Viatores; litigantibus; Advocati & Procuratores. De accessorijs aliàs, de principalibus videamus. *arg. l. Julianus. 17. & l. inter litigantes. 62. ff. h. t.*

V.

Iudex est vir bonus, disceptandæ rei causa datus. Magistratus enim olim non iudicabant de singulis causis, sed iudices dabant. *Cujac. in par. ff. h. t. & 9. obs. 23. Duar. ad tit. de iudic.*

VI.

Et est vel ordinarius, qui secundum modum jurisdictionis suæ iure Magistratus iudicat: Vel extraordinarius, qui

vi mandatæ jurisdictionis, specialisve notionis cognoscit.
l. pen. ff. h. t. l. 2. C. de pedan. judic.

VII.

Judicem dare possunt quibus hoc lege, vel constitutione, vel Scto, vel more majorum conceditur. *l. 12. ff. h. t.*

VIII.

Judex datus judicis dandi potestatem non habet, cum ipse judiciario munere fungatur, nisi à principe datus fuerit.
l. à judice. 5. C. h. t.

IX.

Dari judices possunt, tam in potestate quàm sui juris constituti, nisi naturâ, lege vel moribus prohibeantur *l. cum Prator. 12. §. 2. & 3. ff. h. t.*

X.

Naturâ, ut surdus, mutus, impubes & perpetuò furiosus, quia judicio carent. *d. l. 12. §. 2.*

XI.

Ante furorem tamen datus, in eodem officio permanet, licet furere coeperit: quia rectè ab initio judex additus est, sed judicandi necessitatem morbus fonticus remittit. Ergo mutari debet. *l. Judex 46. ff. h. t.*

XII.

Cæcum officio judicandi fungi Ulp. testatur. *l. cæcus 6. h. t.*

XIII.

Lege impeditur, qui senatu motus est, *l. 12. §. 2. h. t. de vi privata damnatus l. 1. in pr. ff. ad l. Jul. de vi priv.* quicunq; infamiâ notatus, *d. l. 1. arg. l. 2. ff. de senat. excommunicatus, can. miramur 24. q. 1. can. ad probandum extr. de sent. & rejud. Judæus. l. ult. in pr. C. de Judæis. hæreticus, ejusq; receptator. auth. credentes. C. de hæretic.*

XIV.

Si tamen ex certa scientia à principe infamis datus fuerit,

rit, contra eum de infamia excipi non potest. *arg. l. quidam 57. de re jud.*

X V.

Prætor vel præses provinciæ specialem judicem ipse se dare nequit. *l. Præses 5. ff. de Offic. Præsid. l. ult. de Offic. Prætor. l. Prætor. de tut. dat. ab his &c.*

XVI.

Minor 25. annis judex fieri nequit, sed si fortè aliqua ex causa evenerit ut judicet, tuenda ejus sententia est, modo si plenâ pubertate fuerit. *d. l. quidam 57. de re jud. Cujac. ad l. 1. C. qui etat. se exc.*

XVII.

Illiterati & legum imperiti, nisi magistratus sint, qui legum peritos assessores habent, judices dare non possunt. *Nov. 82. in pr. & c. 1. ubi Cujac.*

XVIII.

Suæ rei aliquem judicem fieri iniquum est, *l. Julianus 17. ff. h. t. l. un. C. ne quis in sua caus. ubi Cujac. in par. l. qui jurisdictioni 10. ff. de jurisdic. tametsi receptum sit, ut in sua causa quis judicet, si de jurisdictione ejus agatur. l. 2. §. 6. l. si quis 5. ff. h. t.*

XIX.

Is quem altera pars nominatim petit, judex dari non debet, nisi hoc specialiter à principe ad verecundiam petiti judicis respiciente permittatur. *l. observandum 47. h. t.*

XX.

In privatis negotijs pater filium, vel filius patrem judicem habere potest. Quippe judicare munus publicum est. *l. in privatis 77. & seq. h. t.*

XXI.

Moribus judices dari vetantur, foeminæ, servi, non quia non habent judicium, sed quia receptum est, ut civilibus officijs non fungantur, *l. cum Prætor. 12. §. pen. h. t. l. 2. de R. J.*

XXII.

Porro iudex tam ordinarius, quàm delegatus recusari potest, si suspectus sit. Quod fit ob varias causas. *l. si pariter 9. in pr. ff. de liber. caus. can. quod suspecti 3. q. 5. Marant. part. 6. tit. de app. n. 26. & multis seqq.*

XXIII.

Causa suspicionis libello porrecto antequam lis inchoetur exprimenda est. *l. apertissimi 16. C. de jud. Si vero postea emergat primum, etiam post litem contestatam opponi potest. Cujac. 9. obs. 23. Myns. 4. obs. 59.*

XXIV.

Quod si causa recusatationis ante litem contestatam emerferit, si allegans eam post litem contestatam, justam ignorantiam juramento probet, adhuc audiendus est. *Myns. d. loc. Gail. 1. obs. 33. n. 9. & seqq. Covar. pract. quest. 26. n. 2.*

XXV.

Planè cum datur iudex nomen ei exprimendum est. Unde quæritur si in iudicis nomine, prænomine erratum sit, quis iudex intelligatur? Servius respondit: Si ex conventionione litigatorum is iudex addictus esset, eum esse iudicem de quo litigatores sensissent. Inspiciendum igitur quid actum sit. *l. si in iudicis 80. h. t.*

XXVI.

Loci quoq; ratio habetur, qui si in iubendo iudicare, non est comprehensus, videtur eo loco iudicare iussisse, quo solet iudicari sine incommodo litigantium. *l. si loci 100. 59. h. t.*

XXVII.

Aliquando certa quantitas definitur, ad quam usq; iudicetur, quam iudex excedere nequit, nisi inter litigatores conveniat. *l. de quare 74. §. 1. h. t.*

XXVIII.

Inprimis illud observare debet iudex, ne aliter iudicet, quàm

quàm legibus, aut constitutionibus, aut moribus proditum
est, *pr. inst. de offic. jud.*

XXIX.

Quod si non observàrit, litem suam facere dicitur, & si
dolo malo in fraudem legis sententiam dixerit, veram æsti-
mationem litis præstare cogitur. *l. de eo. fi. C. de pen. jud. qui
mal. l. filiusfam. 15. h. t. arg. c. 1. de sent. & re jud. in 6.
Gail t. obs. 153. n. 3. & 4.* Sin per imprudentiam, tenetur quasi
ex maleficio, & in quantum de ea re æquum religioni judi-
cantis visum fuerit, pœnam sustinet. *l. si judex fi. de var. &
extrav. cogn. l. si quis 5. §. si judex 4. de O. & A. l. si quis 29.
in fi. C. de pact. pr. inst. de oblig. quæ ex quasi delict. Cujac. 8.
obs. 9. & 13. obs. 18.*

XXX.

In expensas quoq; litis, & damna judex facere debet
condemnationem, ut præstet ea victori, qui vincitur. *l. Non
ignoret. 4. C. de fruct. & lit. expens. ubi Cujac. in par. l. prope-
randum 13. §. si ve autem 6. C. h. t. l. eum. 79. h. t. Nov. 82.
c. 10. §. hæc autem Inst. de pen. tem. lit.*

XXXI.

Sanè si nihil de his pronuntiaverit, victori in victum
actio non competit *l. terminato 3. C. de fruct. & lit. ut nec
jus appellandi ob non habitam rationem expensarum. l. fi.
C. quand. prov. non est neces. sed judex eo nomine victori te-
netur d. l. 13. §. si ve autem 6. C. h. t. ubi Cujac. in par.*

XXXII.

De tempore sciendum quod causæ civiles intra trien-
nium, criminales intra biennium à lite contestata decidi de-
beant, alioqui instantia perit. *l. properandum 13. in fi. C. h. t.
Cujac. 9. obs. 22. in fi.*

XXXIII.

Tempus tamen hoc litibus finiendis constitutum, con-
sensu partium diminui, non item prorogari potest. *Dd. in
d. l.*

d. l. properandum §. 1. C. h. t. Gail. 1. obs. 141. n. 5. Myns. 3. obs. 44. 47. & 48.

XXXIV.

Actor est qui prius ad iudicium provocat, *l. 29. h. t. l. in tribus 13 h. t. l. 2. ff. com. divid.* in duplicibus iudicijs, cum ambo ad iudicium provocant forte res discerni solet. *l. sed cum 14. h. t. l. fi. in pr. C. com. de leg.*

XXXV.

Agere regulariter omnes possunt, qui legitimam personam standi in iudicio habent, aut edicto de postulando non excluduntur. *tot. tit. C. qui leg. pers. stand. & ibi Cujac. arg. l. 1. §. 1. de postul.*

XXXVI.

Reus, à re, quæ petitur, sic dictus, est qui in iudicio convenitur. *c. forus. ext. de V. S.*

XXXVII.

Possunt autem omnes regulariter conveniri, paucis exceptis. *l. Hos accusare 12. ff. de Accusat.*

XXXVIII.

De Magistratibus D. Hadrianus rescripsit: Ne quo anno cum imperio sunt, neq; propriam, neq; eorum, quorum tutelam vel curam gerunt, causam in iudicio vel agendo, vel defendendo sustineant. Simulac verò Magistratus dies exierit, non ipsis tantum adversus reos suos, sed etiam alijs adversus ipsos, litem intentare, jus, fasq; esse. *l. pars literarum 48. ff. h. t.*

XXXIX.

Legati, ubi legatione funguntur, conveniri nequeunt, nisi post legationem ibi contraxerint, vel deliquerint. *d. l. Hos accusare in pr. l. 2. §. 3. & 4. l. si quis 8. l. non aliàs 24. in 2. pr. & §. 1. & l. seq. ff. de jud.*

XL.

Actor sequitur forum rei, *l. actor fi. C. ubi in rem act. l. in crimi-*

criminali s. C. de jurisdic. Reus sortitur forum quatuor præcipuè ex causis: domicilio, l. juris 2. C. de jurisd. contractu, c. fi. ext. de for. comp. delicto, auth. qua in provincia. C. ubi de crimin. ag. oport. & re l. un. C. ubi de hered. ag.

XLI.

Domicilium intelligimus quod reus vel habet, vel tempore contractus habuit, & si postea transfulerit. Ibi autem habere dicitur, ubi facultates sunt, & ubi sedem fortunarum constituit. *d. l. 2. C. de jurisd. l. cives 7. C. de incol.*

XLII.

Qui tamen non cogitur in aliquo loco iudicium pati, si ipse ibi agat, cogitur excipere actiones. *l. qui non. 22. h. t.*

XLIII.

Ratione contractus, qui certo loco contraxit, ibi conveniri debet, *l. argentarium 45. h. t.* etsi alibi domicilium habeat, nisi alio loco, ut se defenderet, convenit. *l. heres 19. §. 1. & 2. ff. h. t.*

XLIV.

Eum vero qui à mercatore quid comparavit advena, vel ei vendidit, quem scit confestim inde profecturum, non oportet ibi convenire, sed domicilium ejus sequi; quod si quis ab eo, qui tabernam vel officinam certo loco conductam habuit, in ea causa est, ut illic conveniatur. *d. l. 19. §. 2. h. t.*

XLV.

Dotem illic exigere mulier debet, ubi maritus domicilium habuit, non ubi instrumentum dotale conscriptum est. *l. exigere 65. h. t.*

XLVI.

Ratione delicti reus convenitur ubi crimen admisit, vel ubi lis contestata est, vel ubi domicilium habet, aut deprehensus fuerit. *l. 1. & 2. C. ubi de crim. agi oport. & ibi Cujac.*

B

Ratio-

XLVII.

Ratione rei quis convenitur, ubi res sita est, quod tamen sic exaudiri debet, si & ibi reus inveniatur. *l. ult. C. ubi in rem act. l. quod legatur 38. h. t.*

XLVIII.

Specialiter fortunæ injuria miserabiles personæ, ut pupilli, viduæ, diuturno morbo fatigati, & debiles intra provinciam, in qua litigator, & testes, vel instrumenta sunt, experiantur jurgandi fortunam, atq; omnis cautela servetur, ne terminos provinciarum suarum cogantur excedere. Quod si judicium principis oraverint, præsertim cum alicujus potentiam perhoreseunt, cogantur eorum adversarij principis examini copiam sui facere. *l. un. C. quand. Imp. int. pup.*

XLIX.

Interdum etiam si se subjiciant aliqui jurisdictioni, & consentiant, inter consentientes cujusvis judicis est jurisdictio. *l. 1. ff. h. t.*

L.

Consensisse autem videntur, qui sciant se non esse subiectos jurisdictioni ejus, & in eum consentiant. Cæterum si putent ejus jurisdictionem esse, non erit ejus jurisdictio. *l. 2. in pr. h. t.*

LI.

Illud sciendum est, eum qui ita fuit obligatus, ut in Italia solveret, si in provincia habuit domicilium, utrobiq; posse conveniri, & hic & ibi, & ita Juliano & multis alijs videtur. *l. heres. 19. §. si h. t.*

LII.

Materia judicij sunt causæ civiles & criminales, præsentibus tamen non futuræ. *l. Non quemadmodum 35. h. t.* Exceptis accessionibus, quæ post litem contestatam non jure actionis,

nis,

nīs, sed officio judicis veniunt. *l. Ediles 25. §. item 8. de Edil. edict.*

LIII.

Hinc Celsus ait: Melius esse ut dicamus illud venire in judicium, non de quo actum est, ut veniret, sed id non venire, de quo nominatim actum est, ne veniret. *l. solemus 61. h. t.*

LIV.

Ad formam judicij pertinet ordo procedendi, qui, sub latis formulis & impetrationibus hodiè hic ferè est, ut præcedat libellus, sequatur litis contestatio, probatà intentione, causâq; conclusâ sententia à judice feratur. *auth. offeratur. C. de lit. contest. l. 13. §. 3. C. h. t.*

LV.

Partes præcipuas judicij Dd. statuunt litis contestationem & sententiam. Reliqua quæ in judicij versantur, aut ad præparatoria, ut citationem, aut media, ut probationes, aut posteriora sive consequentia referunt, ut executionem, de quibus oportunitus suo loco. *Wes. in par. h. t. n. 6. auth. Adhæc. C. de judic.*

LVI.

Litis contestatio est rei controversæ apud judicem ex utrâq; parte testatò facta narratio: hoc genere res in judicium deducitur & litis nomen accipit. Nec enim propriè lis est, antequam contestetur, sed controversia. *l. un. C. de lit. contest. l. sed est 25. §. si ante 7. de pet. hered. Cujac. 9. obs. 21.*

LVI.

Contestatione actor litem facit, judicium dicit, reus accipit: & dicitur contestari actor litem cum reo, non reus cum actore. *l. si à me 11. h. t., Cujac. d. loc. Gæd. ad l. 36. de V. S. n 18.*

LVIII.

Litis contestationem non tantum negativè sed & affirmativè fieri posse statuimus. *latè Gwd. ad l. 36. n. 21. de V. S.*

LIX.

Quod si de lite non contestanda reus protestetur postea tamen libello respondeat negativè, adhuc videtur litem contestatus. *Gail. 1. obs. 75.*

LX.

Effectus litis contestationis sunt varij, inprimis actionem temporalem perpetuat. *l. fin. C. de prescript. 30. vel 40. ann. l. un. C. ex delict. defunct.* procuratorem dominum litis constituit. *l. procuratorib. 22. & seq. C. de Procur. exceptiones dilatorias tollit.* Possessorem in mala fide constituit. *l. Nemo 10. C. de Acquir. poss.* Litigatores invicem tanquam ex quasi contractu devinctos tenet. *l. licet 3. §. 11. item ff. de pecul.* Prescriptionem interruptit. *d. l. 10.*

LXI.

Finis judicij est, ut liceat oppressis legitimum impetrare præsidium, utque jus suum judicio consequantur publico *in. pr. inst. de Act.* litesq; terminentur autoritate magistratus. *l. 1. de re jud.* quæ privatim componi non possunt. Nam ideo judiciorum vigor jurisq; publici tutela in medio constituta, ne quisquam sibi ipsi permittere valeat ultionem. *l. nullus 14. C. de Judais. Wes. in par. h. t. n. 15.*

MAN-

MANTISSÆ Ex Jure civili.

I.

Invecta & illata in pradium urbanum, pignoris nexu tacite pro pensione Domino obligari, juris est certissimi: quod de libris studiosorum in domum conductam illatis, constanter negamus.

II.

An, quod scholares injuria affici non debeant, sed juris communis, vel specialis? posterius placet.

III.

Minor gradum adeptus si sit lapsus in foro restitutionis gaudet beneficio.

IV.

Advocatum, bonam foventem causam, ad obtinendam eam, cavillationibus & fallacijs licite uti non posse, asseveramus.

V.

Advocatus vel procurator si initio vel medio anni fatalem diem obierit, totius anni salarii ad heredes transmittit.

B 3

Quod

V I.

*Quod est de Professoribus Academicarum
affirmare non dubitamus.*

VII.

*Scholarum trivialium erectio, Magistratu
cuiusvis ordinario, etiam oppidano competit,
maximè, si jus patronatus Ecclesia habeat.*

VIII.

*Γυναικεία, sive probatio mulierum per a-
quam frigidam, tam omni juri contraria, quàm
experimentum fallax à benè constitutis judicis
merito exulare debet.*

Ex Jure feudali.

I.

*Feudum à Vasallo neq; pignori, neq; hypo-
theca dari posse, statuimus.*

II.

*Feudum à patre in dotem filie dari non posse
affirmamus.*

III.

*Vasallum, si contra dominum sponte patro-
cinetur, feudo exui concludimus.*

Rusti-

I V.

*Rusticus in feudum dare potest bona sua al-
lodialia.*


Polit.

I.

*An gravius sit delictum Adulterium quam
homicidium? dist.*

I I.

*Magistratum gerere & judicia politica ex-
ercere homini Christiano licitum esse, contra ho-
mines fanaticos, rectè asserimus.*



PRÆSTANTISSIMO JUVENI VIRO,

Dn. THEODORO VARMEIERO,

amico suo ex intimis intimo DE JUDICIIS
disputanti.

N*E sine sole dies tristis, sine legibus aquis
In mundo nequam vivere nã miserum est!
Leges humanæ moderantur munia vite,
Urbis sunt omni firma columna loco.
Hac valet incolumis quanquam sine manibus esse:
Legibus orta nequit, dixerat ille Sophus.*


Nam

*Nam velut exanimus corpus consistere non quit:
 Sic urbs divinis legibus erba cadit,
 Quis neget hinc Rerum patronos jure vocandos,
 Quos jurvat ingenium legibus imbuere?
 Atq; salutiferum quis vel neget organon orbis,
 Qui Eunomia donis pectora plena gerit?
 Eunomia scandunt sublimia semper alumni,
 More Pericleo fundere verba solent!
 Legibus insudas, fausto conamine, pernox
 O THEODORE animi pars celebranda mei,
 Hinc studij specimen maturum trudis in auras,
 Cum de Judicijs disseris eximiè.
 Tu Themidos pergas virides lustrare recessus,
 Et durum celebris scandere laudis iter.
 Sic tibi certanti pulchra est spectanda corona,
 Qualem saepe suis alma Themis tribuit.
 Principibusq; viris carus, Patriq; diserto
 Hinc eris, atq; soli gloria Westphalici!*

ARNOLDUS BLESSÆUS
 Limbergo-Westphal.
awgediwg f.



SELECT.




the scale towards document

I V.
udum dare potest bona sua al-

Polit.

I.
delictum Adulterium quam

I I.
gerere & judicia politica ex-
strano licitum esse, contra ho-
ectè asserimus.



SSIMO JUVENI VIRO,
ORO VARMEIERO,
timis intimo DE JUDICIIS
disputanti.

is, sine legibus aquis
nam vivere na miserum est!
nderantur munia vita,
mi firma columna loco.
is quaquam sine manibus esse:
requit, dixerat ille Sophus.

Nam